



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

3. Effectus tam miræ translationis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

mariti pristinam, & lachrymabuunda eum amplexans exclamat, ò Domine ac marite mi, & inter hac decidit in anima deliquium, quam ipse debilis, ut potuit, sustentabat. Magister aula ceteriq; ministri, qui in altera atri parte confabulantes consistebant, & nihil horum audierant, visis his amplexibus, protinus accurrerunt, dominumq; suum agnouerunt. Nec mora; toto castro huius tam insperati nuncij mox fama percrebuit: & nuptias, non nouus sponsus, sed antiquus maritus celebrauit.

Ibi enim mira omnium mutatio, ingens gaudium amicorum, incredibilis cognatorum læticia, stupenda exultatio ministrorum, maximus omnium applausus; sed in primis attonitus vetulum hunc sponsum sponsus nouus admirabatur, qui capere non potuit, conuiuio nuptiali, à se parato, alium præesse. Sed tandem & ipse Deum laudauit, qui spurij nuptijs impeditis, coniugium primum verumque tam opportuno tempore, accito, ex ipsa Turcia, legitimo marito, sartum tectum conseruasset. Neque nobilis ille voti immemor fuit. Siquidem S. Iuliano sacellum pulcherrimum exadificauit, & non diu post piè, in Domino, obdormiuit. *Barba eius & capillitium testudini sacelli affixa, velut insigne huius miraculi testimonium, longo tempore, & adhuc, ut ante quadraginta annos, à pluribus visa fuere, & fortè hodie cernuntur.*

Quanta, in hoc casu inest Numinis prouidentia? quanta cura, ne matrimonij sanctitas inquinaretur? Post septennium, ex ipsa Turcia, senem paucis horis, non jam per atros, sed sanctos per angelos, curat transportari, ut illegitimas nuptias detegat, adulterium impediatur, & legitimum coniugium non interrumpi patiatur. Et quanquam viri probitas, inuocatio S. Iuliani, castitas vxoris meruerint custodiam Dei peculiarem, doceantque, adesse diuina auxilia coniugibus sese mutuo, in Christo, castè diligentibus; monentur tamen vel viri, vel femina, ne sint præcipites ad secundas nuptias celebrandas, si de prioris coniugis morte certò nihil constat. Nec Gorgo antè nupsit, quàm sciret Leonidam suum, in bello contra Persas suscepto, obiisse, licet à Leonida discedente monita esset, ne viua maneret, sed filios Reipub. educaret.

Quàm

III.

IV.

Plutarch.
in Lacon.
apoph.